



# **Demonstratio mathematica ineptiarum & ignorantiae Jacobi Du Bois, Ecclesiastae Leydensis, in oppugnanda hypothesi Copernicana, et philosophia Cartesiana**

<https://hdl.handle.net/1874/10153>

Jan Sonneveld 740

16

# DEMONSTRATIO MATHEMATICA

I N E P T I A R V M

& ignorantia

# JACOBI DV BOIS,


Ecclesiastæ Leydensis,

in oppugnanda

# HYPOTHESI COPERNICANA,

E T

# PHILOSOPHIA CARTESIANA.



ROTTERODAMI,

Apud JOHANNEM BENTING, 1656.

DEMONSTRATIO MATHEMATICA  
 IN E P T I A R V M  
 & ignorantiae  
**IACOBI DV BOIS,**  
 Ecclesiastæ Leydensis,  
 in oppugnanda  
 HYPOTHESI COPERNICANA,  
 E T  
 PHILOSOPHIA CARTESIANA.

**S**I ad aureum illud dictum *Nosce te ipsum*, ita omnes attenderent, ut quidem illud in ore habent, multò paucioribus calamitatibus erroribusque vita humana obnoxia esset, quam tristis experientia quotidie docet. Dolendum est, homines reperiri, apud quos hæc regula nullam omnino vim habet, licet quam maximè effectum in ipsis sortiri debeat. Nuper denuo intellexi *Jacobum du Bois* Ecclesiastem Leidensem adhuc sibi persuadere ac publicè jactare, quod argumentum repererit, quo Systema Copernicanum & Philosophia Cartesiana revertantur, desumptum à motu Veneris & Mercurii in propriis suis circulis circum Solem: & prætendit se Mathematicè posse demonstrare, quod Mercurius circiter 116 dierum, Venus autem plus quam 19 mensium spatio opus habeat, ut dictum proprium suum circulum,

cujus centrum propè Solem est, semel percurrat, adversus Copernicanos, qui statuunt Mercurium intra tres, & Venerem intra octo menses motum illum absolvere, (quā ratione autem apud Copernicum menses novem pro octo, & dies octuaginta pro octuaginta octo positi inveniantur, postea videbimus) & consequenter etiam contra Cartesium, qui in Philosophia sua causam motus Planetarum explicaturus, Hypothesin Copernicanam tanquam simplicissimam & maximè claram assumpsit, hoc solum cum discrimine, quod omnem motum verius quam Tycho, & curiosius quam Copernicus esset Terræ detraeturus, ut legimus art. 19. partis III. Principiorum Philosophiæ. Si Jac. du Bois aliquam dicti illius memorati rationem habuisset, imbecillitatem suam animadvertere, adeoque turpissimum illud nominis sui naufragium, quod apud Mathematicos jam passus fuit, & quotidie adhuc pati cogetur, prævenire potuisset. Quapropter paucis ostendere decrevi, qua in parte vir hic erraverit, ut perceptâ tandem imbecillitate suâ, de imaginatio robore gloriari, imperitis & harum rerum ignaris falsa pro veris obtrudere, adeoque perniciose eos præjudicio occupare in posterum desinat.


*Dialogum ejus Theologico-Astronomicum, ut & libellum, quem sub titulo *Veritas & Authoritas sacra nuper in lucē misit, inspiciens, memoratum Pseudo-Mathematicum argumentum iuveni, in Dialogo quidem pag. 36. 37. & 38. & Venerem quod attinet in altero libello pag. 285. &c. ubi sic loquitur: Ad hunc Authorem (sc. Cartesium) quoad Veneris orbem falsitatis arguendum, nihil efficacius optari potest Tabulis Copernici & Lansbergii, qui Veneris motui diurno dant, Copernicus quidem scr. 36. 59. 28. 35. Lansbergius verò scr. 36. 59. 29. 29. 11. 6. Neuter scr. 37. Ven-**

meri concedit! hinc sequitur Venerem orbem suum demum absolvere diebus 583, & horis 21. quod sic intelligendum est, ut, postquam Venus ab Aphelio suo recedere incipit, ad illud non revertatur, nisi post tantum temporis spaciū exactū. In Dialogo suo pag. 37. iisdem Lansbergii Tabulis usus fuit, ad dictam opinionem suam non modò de Venere sed etiam de Mercurio stabiendam; hoc pacto enim ibidem concludit: *Dico ergo Lansbergium aliosq; Copernicanos sibi non convenire, nec in Mercurii, nec in Veneris circumvolutione.* Mercurio dant dies 80, at circulum suum demum absolvit diebus 115. hor. 21. 4'. Hic est primus error. Postea sic pergit: sequitur alter in Venere multò major, cuius circumvolutioni, non novem sed novendecim menses sunt tribuendi, nam ut scr. 36. 59. 29. &c. sese habent ad diem unum, ita totus circulus ad dies 583. hor. 22. 1'. atque hic motus multò est tardior eo, quem in majori orbe tribuunt Terra, quæ ex eorum sententia spatio annuo cursum in zodiaco absolvit: Ergo Hypothesis non Ptolemaica nec Typhoniana, sed Copernicana turbat, ut Lansbergii argumentum in ipsum retorquam, ordinem à Deo institutum, qui est, ut corpora in minoribus sphæris velocius moveantur, in majoribus tardius; nam Veneri in sphærâ minori dant motum diurnum tardiorēm, videlicet scr. 36. &c. at Terra in sphærâ majori velociorem, videlicet scr. 59. &c. ita ut Terra majorem orbem percurrat spacio annuo, Venus autem minorem spatio novendecim mensum. Posthac duas responsiones, quas Copernicani ipsi forte regererent, sibi objicit; prior hæc est: sed quid si dicarent, se ideo tribuere Mercurio 80 dies, Veneri menses novem, quia post illud tempus in eodem loco zodiaci rursus reperiuntur? Altera est, sed quid si responderent, Planetas illos ad prænominata tempora

rursus conjungi cum Sole? Quæ duæ objectiones hic nihil  
 ad rhombum, nec in eum, qui statum quæstionis intel-  
 ligit, cadere possunt. Sed vir bonus hoc loco chimæras  
 ex proprio cerebro eductas ipse met sibi proponere, at-  
 que in eas præliari voluit, ut hoc pacto saltem viator ali-  
 quando evaderet. Attamen in responsione ad objectio-  
 nem primam aliquid occurrit, quod non displicet, ubi  
 ostendit quòd statum quæstionis oblitus non esset, di-  
 cens: Non est hic quæstio de passionibus Planetarum,  
 & eorum apparentiis respectu visus nostri, sed de reali  
 eorum circumvolutione circa centra sua, & paulo post:  
 sicut enim volunt Terram considerari in circumvolu-  
 tione suâ circa Solem, sic etiam debet considerari cir-  
 cumgyratio Veneris & Mercurii circa idem centrum  
 commune. Noverat enim, cardinem quæstionis in eo  
 versari: An Systema Copernicanum Solem in medio  
 omnium Planetarum constituens, tanquam centrum  
 (quamvis non Geometricum) ita ut proximus illi Mer-  
 curius circulum suum A intra tres, Venus circulum  
 suum B intra octo menses, Terra suum C spacio annuo  
 percurrat, &c. conveniat cum experientiâ? Quod fal-  
 sum esse per tabulas Lansbergii se jam probatum de-  
 disse putabat, ac idcirco demonstrasse Mercurium in  
 circulo suo A semel percurrendo 115 diebus, hor. 21. 4'.  
 hoc est, ferè 4 mensibus indigere, & Venerem ad ab-  
 solvendam periodum suam in circulo B dies 583, & hor.  
 22, hoc est, plus quam 19 menses impendere: adeò ut  
 egregiè cum umbrâ suâ luctetur, inquiens, quæstionem  
 hic non esse, quanto temporis spacio dicti Planetæ ad  
 oculum nostrum (qui in Terrâ in circulo C non immo-  
 bilis,

(7)

bilis, verūm unā cum Terrā annuo spacio circa Solem motus supponitur) circulum, qui Zodiacus dicitur, per-



currere videantur, verūm de reali eorum, circa centrum suum, puta Solem, circumvolutione, controverti. Remotis itaque duabus prædictis objectionibus, quæ tam egregiè ad rem faciebant, pag. 38. his verbis concludit: *Quā ratione Copernicani sese ex his difficultibus expedire possint, non video.*

Vidimus itaque, quo fundamento prætensa hujus viri demonstratio Mathematica nitatur, hisce nimirum verbis: *Copernicus dat Veneris motui diurno scr. 36. 59. 28. 35. Lansbergius verò scr. 36. 59. 29. 29. 11. 6. Neuter 37 scr. Veneri concedit.* Atque eodem modo ex ejusdem *Dialogo* pag. 37. videri potest, quod motum Mercurii die-  
tim gr. 3. 6. 29. 12. 1. 8. 6. iisdem quoque tabulis in to-  
tum superstruat.

Atque

Atque hoc argumentum viro huic insolubile videtur. Eo subnixus audet dicere: *non video quomodo Copernicanisē ex his difficultatibus expedire possint*; & elapso integro biennio: *nihil efficacius optari potest &c.* Hoc paſſim apud harum rerum ignaros deprædicare audet, ceu novum & à ſe primūm excogitatum inventum, quo non ſolūm Systema Copernicanum, verūm etiam tota Philoſophia Cartesiana corruere debeat: ſequē manus daturum promiſit, ſi modò hoc argumentum irritum redi poſſet. Age igitur Du Bois ſta promiſiſ, & ſolutio- nem tribus verbis accipe: *committis fallaciam consequen- tis.* Labili certè hīc vir debet eſſe memoriā: cum enim ipſemēt ſibi responderet: *Non eſt hīc quæſtio, &c.* non ignorabat longē aliam eſſe quæſtionem, ſi de reali ac ve- ro motu Veneris & Mercurii, quem in propriis ſuis cir- culis per A & B ſupra designatis conſciunt, diſputetur, quām ſi quæratur, quem motū in iisdem circulis re- ſpectu viſus noſtri habeant. Si argumentum ſuum, ut ſolet aliās, *ad formam ſyllogiſmi*, redegiffet, ejus forte imbecillitatē vidiffet: ideoque ego in ipsius gratiam idipſum faciam: Si Venus circulum ſuum *reſpectu viſus noſtri* diebus 583, & Mercurius ſuum diebus 115 percur- rat: ergo Venus & Mercurius eosdem circulos etiam re- ſpectu cursus ſui veri ac *realis* tanto temporis ſpacio percurrunt. Sed verum prius. Ergo, &c. Falsitatem hu- jus conſequentiæ procul omni dubio jam faltem vide- bit, ſed excipiet forte, ſe hoc pacto non ratiocinari, ve- rūm dictas Tabulas *realem* eorum motum, non autem eum, qui fit *reſpectu viſus noſtri*, exhibere. Atque hoc Dialog. pag. 36. videtur velle oſtendere, quando inquit: *Sic enim loquitur (ſc. Lansbergius) in Theoriā Veneris;*  
pri-

primum movetur *Venus* in orbe Eccentrico, intra magnum orbem Terra, conficitq; singulis diebus in consequentia scr. 36.59.29.29. II. 6. Qui motus idem est, cum motu Anomaliæ orbis *Veneris* in Tabulis notato. Similiter in Theoriâ Mercurii; primum movetur centrum Epicycli Mercurii in orbe Eccentrico intra orbem *Veneris* in consequentia, conficitq; diebus singulis grad. 3. 6. 24. 12. 1. 8. 6. Qui rursus est ipissimus motus Anomaliæ orbis Mercurii in tabulis assignatus. Hac eadem ratione biennio post, eundem in finem, denuo utitur in altero libello, cui titulus est: *Veritas*, &c. pag. 285, & pag. 287 verbotenus hæc leguntur: *Lansbergio Copernicum adjungam*, is, revol. lib. 5. cap. 1. hec habet: *Sunt igitur singulis (Planetis) singuli circuitus commutationum, Saturno dies &c. Veneri 583. scr. 55. 17. 50.* Quos resolutos in circuli gradus, & multiplicatos in 365, cum partiti fuerimus per numerum dierum & scrupulorum suorum, habebimus annum motum, *Saturni*, &c. *Veneris*, graduum 225. scr. 1. 45. 3. 40. Horum trecentesima & sexagesima quinta pars est motus diurnus *Saturni*, &c. *Veneris* scr. 36.59.28.35. Quod argumentum non aliud est à præcedente. Nam quæ quælò ista consequentia est bone Vir: si moveatur *Venus* in orbe Eccentrico intra magnum orbem Terra, conficitq; singulis diebus in consequentia scr. 36.59. &c. ergo? vel sunt singuli circuitus commutationum, *Saturno* 378, &c. *Veneri* 583. scr. 55. 17. 50. Ergo? Probandum Tibi hoc loco fuisset, *Copernicum* & *Lansbergium* de motu *Veneris reali*, non autem de eo, quem respectu visus nostri facere videtur, locutos fuisse. *Veneris* motum medium respectu visus nostri in circulo suo dictim esse scr. 36.59. &c. concedo.

Sed hoc non quartitur: & nego, *Copernicum* & *Lansbergium* in locis allegatis de vero ac reali *Veneris* motu

Iequi, quod tamen probandum tibi incumbebat, sed  
nunquam probari poterit: verū ex adverso ex ipsis il-  
lis locis, quæ citavit, planè contrarium luce meridianā  
clarior evadet, si quis ea apud Copernicum & Lansber-  
gium qualicunque cum attentione relegere voluerit.  
Etenim in explicatione memoratæ Theoriæ Veneris, in  
exemplo, quod Lansbergius hunc in finem proposuit,  
manifestum est, quod motum illum, qui *Anomalia orbis*  
ipsi dicitur, non à fixo, verū à mobili puncto numeret,  
puncto nimirum extremo linea illius, quæ per centrum  
orbitæ Veneris parallela ducitur linea è Terrâ per cen-  
trum Solis ductæ. Et quia hæc linea continuè mutatur,  
patet, motum hunc non simplicem, verū cum medio  
motu Solis compositum esse. Multò absurdius est, quod  
*Copernicum lib. v. Revol. cap. i.* pro se alleget, ubi ferè om-  
nia, quæ in isto capite inveniuntur, sic è diametro cum  
ipsius pugnant sententiâ, ut nemo rationis suæ com-  
pos, talia exinde concludere posse videatur; his enim  
verbis incipit Copernicus; *Bini longitudinis motus pluri-  
mum differentes apparent in ipsis (sc. 5. Planetis) unus est  
propter motum Terræ quem diximus. Alter cujusque pro-  
prius.* Primum non injuriā motum commutationis dice-  
re placuit, cum ipse sit qui in omnibus illis stationes, progres-  
siones & regressus facit apparere, non quòd Planeta sic distra-  
batur, qui motu suo semper procedit, sed quòd per modum com-  
mutationis sic appareat, quam efficit motus Terræ pro diffe-  
rentiâ & magnitudine illorum orbium.

Paulò post quid per motum commutationis intelligat, clariùs exponit,  
inquiens: nam motum commutationis nihil aliud esse di-  
cimus, nisi eum, in quo motus Terra equalis illorū motum exce-  
dit, ut in Saturno, Iove, Marte: vel exceditur, ut in

Venere

*Venere & Mercurio:* Et postquam ad ea verba , quæ à nostro du Bois allegata fuerunt, pervenerat, dicit: *Sunt igitur singulis singuli circuitus commutationum. Saturno in diebus 378. 5. 32. 42. Iovi in diebus 398. 53. 3. 58. Marti in diebus 779. 56. 13. 55. Veneri dierum 583. 55. 17. 50 Mercurio dierum 115. 52. 38. 53.* Notari hīc obiter potest, quod Du Bois in allegatione loci hujus , Saturni, Jovis & Martis circuitus omiserit , non aliâ de causâ , quām quia verba Copernici vel non intellexit, vel sibi adversa esse scivit, non ausus affirmare , Saturnum 378, &c. & Jovem 398, &c. diebus integrum absolvere circuitum. Copernicus hoc capite ita tandem concludit: *Proprios autem motus eorum sic extendisse existimavimus esse superfluum, constant enim ablatione istorum à medio motu Solis* (hoc tantum intelligi debet de tribus Planetis superioribus , nam in inferioribus hos duos addere oportet, ut ex verbis allegatis patet) *quem illi componunt, ut diximus. At his non contentus aliquis, potest pro libitu suo facere. Est enim annuis Saturni motus proprius ad non errantium stellarum sphærām, graduum 12. 12. 45. 57. 24. Iovis graduum 30. 19. 40. 51. 58. Martis graduum 191. 16. 18. 30. 36. In Venere autem & Mercurio, quoniam non apparent nobis, ipse motus Solis pro eis nobis usu venit , suppletq; modo , per quem apparentie eorum pernoscuntur & demonstrantur, ut infra.*

Quis Astronomus , quis qui vel prima Astronomiæ elementa didicit, hunc vitum in Astronomiâ non peregrinum judicabit ? Nam quis error in Mathematicis crassior excogitari potest, quām qui circa ipsos artis terminos committitur; & quidem circa hos *motus Anomaliae orbis, & motus Commutationis*, qui tot tabularum tituli, atque ita abunde ab autoribus expressi atque declarati fuerunt? Hīc igitur nos docuit, quām parum fundamenta

damenta tabularum Copernici ac Lansbergii intelligat, quodque earum terminos haetenus instar psittaci in ore habuerit, quanquam ex fide dignis acceperim, ipsis illas tabulas in crebro apud eum utu esse.

Quam bene igitur intellexit, quae his praemissis pag. 288. scribebat? *Hi (scil. Lansbergius & Copernicus) prout fuerunt Astronomi & Mathematici summi, ad hanc Theoriam tabulas perpetuas motus Veneris construxerunt, & ea-rundem veritatem & certitudinem permultis exemplis va-riorum seculorum, additis etiam demonstrationibus Ma-thematicis, probaverunt.* Et quam certa est hæc conclu-sio pag. 287. *Habemus ergo duos Astronomos (scil. Coper-nicum & Lansbergium) testes motus illius tardioris Vene-rii; quod nempe in circulo suo proprio revera sit die-rum 583. &c.* Et opera & pretium puto ad ea, quæ præce-dentibus immediatè subiectis, paucula animadvertere, quando inquit; *Idem testantur omnes alii Astronomi, quot-quot mihi videre contigit, quos advocare non est necesse.* Nam verè dicere possum: *Contrarium testantur omnes A-stronomi, quotquot mihi videre contigit, quos advocare est necesse.* Imprimis enim *Copernicus, Lansbergius, Galileus, & Cartesius* testantur contrarium. Hoc, ut confido, sal-tem negare non audebit du Bois, quandoquidem eos in allegatis libellorum suorum locis, hæc in parte confuta-re, adeoque ipsorum sistema prorsus evertere laborat. Sed miraberis & hærebis hoc loco, quandoquidem paulò antè vidimus, quod non solum *Copernicum & Lansbergium*, sed quo scunque unquam legit, pro se esse contendat, adeoque autoritate illâ, quæ ipsis tanquam summis Astronomis & Mathematicis debetur, coram toto mundo se tueri conetur, & quidem (NB) eâ ipsâ in causâ, in quâ eos impugnat & refutare studet. Hæc tamen

tamen admiratio facile cessabit, forte antequam ad finem eorum, quae hic tractamus, perveneris. Interea sufficiet nobis locus ex pag. 287 allegatus, unum cum propriis hisce Ipsius verbis: *Ex luminaribus, quae circa Solem ut centrum suum volvuntur, minimam Sphaeram absolvit Mercurius diebus 80, majorem Venus 9 mensibus, Sicut Lansbergius post Copernicum & Galileum statuit.*

Potro, Gassendus Regius Matheseos in Academiâ Parisiensi Professor à parte nostrâ stat. In Institutione suis Astronomicis lib. 11. cap. 7. ita loquitur: Præterea porrò motum Veneris in Epicyclo esse dietim grad. 1. minut. 36. ac totam proinde ipsius periodum absolvi intra dies proximè 225 seu menseis septem cum semisse: utcunque ob Solem inter rim progressum non apparet nobis conjuncta iteratō in Apogeo, aut iteratō in Perigao nisi post novendecim menses. Mercurii autem motum in Epicyclo esse dietim grad. 4. minut. 52 ac periodum ipsius absolvi intra dies proximè 88 seu treis proprie menseis: utcunque ab una coniunctione Apogea cum Sole ad Apogeam, non nisi post 4 ferè menseis redeat. Et si ipsi motus Veneris & Mercurii, qui hoc loco secundum hypothesin Ptolemaicam in Epicyclis fiunt, secundum Copernicanam in propriis suis circulis, quos circum Solem describunt, tanto temporis spacio absolvi debent: quod etiam in citatâ Astronomiâ lib. 3. cap. 2. truditur.

Hoc ipsum testatur & demonstrat Simon Stevinus, dum viveret, Illustrissimi ac Celsissimi Mauritii, Principis Auriaci laud. mem. Mathematicus. Hic, libro tertio prop. 16. de inveniendis Planetarum motibus, in hunc modum scribit:

## P R O P O S I T I O XVI.

- „ Motum duorum inferiorum Planetarum Veneris  
 „ & Mercurii in suis deferentibus, ad datum tempus,  
 „ juxta hypothesin Terræ mobilis describere.  
 „ *Datum.* Ut à Venere capiamus initium, detur tem-  
 „ pus diurnum.  
 „ *Quæsumus.* Quantum isto temporis intervallo in de-  
 „ ferente suo promoveatur, inveniendum est, ad Terræ  
 „ mobilis hypothesin.

## C O N S T R U C T I O.

- „ Ad motum centri epicycli, qui, secundumstantis  
 „ Telluris hypothesin, singulis diebus per propos. 36. 1.  
 „ lib. est gr. o. 59. 8. 17. 13. 12. 31.  
 „ Adde motum Veneris in Epicyclo diurnum, qui per  
 „ propos. 41. lib. 1. est gr. o. 36. 59. 25. 53. 11. 28.  
 „ Et fit pro quæsito Veneris motu diurno juxta Terræ  
 „ mobilis hypothesin gr. 1. 36. 7. 43. 6. 23. 59.  
 „ Quoniam autem sequens Theorema, quod propos.  
 „ 17. est, huic Problemati demonstrando subservit, ad id  
 „ lectorum alegabimus. Similiter in motu Mercurii  
 „ investigando procedendum erit.

*Conclusio.*

- „ Descripsimus ergo motum diurnum Planetarum  
 „ inferiorum Veneris & Mercurii, &c.


Plures de hoc argumento scriptores impræsentiarum  
 consulere non possum, quia plures ad manus non  
 habeo. Interim nullus dubito, non eos tantum, quos legi,  
 sed quotquot hac de re scripserunt, in hisce convenire;  
 quia error, quem Du Bois ipsis impingit, adeòenormis  
 est, ut rationi consentaneum non sit, eum vel in tyronem  
 Astronomiæ cadere posse. Jam

Jam saltem (ut spero) Dom. Du Bois videbit, quod, cum Copernicus motui Veneris diurno tribuit scr. 36. 59. 28. 35. & Lansbergius 36. 59. 29. 29. 11. 6. at neuter scr. 37. id ipsum de reali Veneris motu intelligendum non sit, uti probare debuisset. Idem intellige de Mercurio. Atque hoc solū discrimen, quod Astronomi faciunt inter motum Veneris realem, & eum qui fit respectu visus nostri, quodque discrimen occasione inauditæ in hoc Viro inscitæ, harum rerum ignaris sèpius expositum fuit, sufficere illi debuisset ad erroris sui adeò aperti ingenuam confessionem; sed quia responsione adeò facil & obviam è adduci vel non voluit, vel non potuit, operæ pretium erit, Mathematicè demonstrare, quod à Copernicanis circa motum Veneris traditum fuit, quod nempe proprium circa Solem circuitum reverâ intrâ 8 non verò post 19 demum menses absolvat, uti du Bois incassum demonstrare laborayit. Idque ex ipsâ petemus experientiâ.

Sumamus igitur hunc in finem sequens schema, in quo A, & pro centro duorum círculorū B & C, & pro Sole sumatur. Sitque B orbita Veneris, C Terræ. Sit porrò D Venus, & E Terra, existentes in rectâ linea A D E, hoc est, in coniunctione, ita ut Venus inter Sollem & Terram media sit.

Experientia autem docet, Venerem indigere secundum Ptolemaium diebus 583. hor. 22. 24. juxta Copernicum diebus 583. hor. 22. 7. 8. ex sententiâ Tychonis diebus 583. hor. 22. 5. secundum Lansbergium denique diebus 583. hor. 22. 1. 16. Atque ita ex omnium & singulorum opinione plus quam 583 $\frac{1}{4}$ , & minus quam 584 diebus, ut ab una coniunctione ad similem coniunctionem aliam perveniat; hoc est, secundum Ptolemaium ab una

conjunctione Apogæâ ad aliam Apogæam, aut Perigæâ ad Perigæam; secundùm Copernicum, Tychonem, & Lansbergium, ab unâ conjunctione, in quâ Venus inter Solem & Terram posita est, ad alteram, in qua iterum inter Solem & Terram conspicitur; vel ab una, in qua



Sol mediis existit inter Venerem & Terram, ad aliam, in qua Sol eandem positionem habeat. Calculo itaque subducendum nobis erit ex hac experientiâ, quanto temporis spacio Venus circulum suum B percurrat, juxta hypothesin Copernicanam, quâ Terra E circulum suum C uno anno percurrere supponitur.


**Quocirca sunt** {  
 a) 1 anno.  
 b) Tempori, quod inter duas conjunctiones  
     eiusdem naturæ, immediatè sequentes,  
     intercedit, cognito experientiâ.  
 c) Tempori, quod in peragrando suo circulo  
     impedit Venus, quodque impræsentia-  
     rum queritur.

$$\begin{array}{l}
 \text{dat gr. quot} \\
 a = 360 \xrightarrow{b-a?} \frac{360}{a} b - 360 \text{ gradus} \\
 \\ 
 x = 360 \xrightarrow{b-2x?} \frac{360}{x} b - 720 \text{ gradus} \\
 \\ 
 \text{Et sit } \frac{360}{a} b = 360 x \quad \frac{360}{x} b = 720 \\
 \hline
 & \frac{ab}{a+b} \\
 & \frac{ab}{a+b} = 720
 \end{array}$$

Qui modò qualemcumque Astronomiæ notitiam habent, facilè intelligunt cur  $b - a$ , ut &  $b - x$  posuerim. Sed quia agendum mihi erit cum Du Bois, qui nil quicquam solidè in Astronomicis intelligit, in ipsius gratiam hec nonnihil dilucidanda erunt.

Pono itaque *b-a*, quia Terra diebus 583, hor. 22 semel & non omnino bis periodum suam juxta hanc hypothesisin absolyit. Non autem pono *b-ix*, quia inde sequeretur Venerem eodem tempore cum Terra circumulum suum percurrere, quod est contra experientiam. Neque *b* tantum pono, quia sequeretur Venerem plus quam 973 diebus in absolvendo suo circuitu indigere, quod etiam cum experientia pugnat. Adeo ut hic patet: si spatium annum ducatur in tempus cognitum, quod inter duas ejusdem naturae conjunctiones inter-

cedit, productumque per eorum summam dividatur, quotientem fore tempus quæsumum, quod Venus in circulo suo B percurrendo impendit, invenienturque pre-



eo 224 dies, & horæ 16, circiter. Ita ut Venus quotidie absolvat 1 gr. 36.7.20, circiter, quod ad supradictam Gasendi ac Stevini positionem quam proxime accedit.

Et quia aliquid tam absurdum excogitari nequit, quod ab imperito in aliqua scientia, præsertim si arrogantia ac judicij præcipitantia ad inscitiam accesserint, objici non possit: in ipsorum gratiam ex alia experientia demonstrabimus: Venerem breviori tempore quam Terram, hoc est, intra unius anni spaciū periodum suam reverâ absolvere.

Sit igitur denuò in fig. præcedente A Sol, D Venus in Apogæo, H Terra. Dum autem Venus ex radiis solaribus

Iaribus emergit, Terra moyeatur ab H usque in C, vi-  
debiturque Sol in F, & Venus ultra G versus K, quan-  
doquidem respectu primi mobilis, quod nobis in con-  
trarium à G versus D videtur moveri, post Solem esse  
observatur, ac proinde pari tempore majorem circuli  
sui arcum, citiusque circulum integrum absolvit, quam  
Terra. Quod erat demonstrandum.

Eadem ratione ea, quæ de periodo Mercurii pro vero  
asseruimus, supputare licet. Ne autem Du Bois hic quo-  
que objiciat, me in hoc calculo meo hypothesi usum  
fuisse, quæ in rerum natura locum non inveniat: eò  
quod Solem aut ejus centrum, tanquam centrum Ma-  
thematicum circulorum Venetiæ ac Terræ posuerim,  
cum tamen per experientiam constet dictos circulos es-  
se eccentricos: hoc enim pacto suam in Astronomia  
principiis ignorantiam adhuc magis proderet, quod  
certè consultum ipsi non esset: nam qui vel à limine A-  
stronomiam salutârunt, ei respondere possent: hos dies  
583 cum horis 22 esse medium tempus conjunctionis, in  
cujus supputatione eccentricitates excludi debent: ac  
præterea hasce eccentricitates veras conjunctiones duos  
aut tres tantum dies accelerare vel retardare, uti in Ta-  
bulis seu Ephemeridibus videre licet.

Verum enimverò, quandoquidem calculus hic Al-  
gebraicus à quovis forte non percipietur, idem denique  
Mechanicè demonstrabo, quâ ratione ab unoquo-  
que, qui modò regulam trium intelligit, veritatem in-  
vestigari ac inveniri posse mihi persuadeo. Circu-  
no itaque ex A tanquam puncto medio descripti  
sint circuli DB. & EC, quorum uterque sit divisus in  
gradus, hoc est, partes æquales 360. Ponamus porrò, ut  
supra, Terram in E, Venerem in D, in eadem recta linea:

& supponatur Venerem periodum suam circiter 225 diebus, Terram verò suam uno anno absolvere. Supputemus jam, quot circuli sui partes Terra percurrat diebus 583 & hor. 22. per regulam proportionis, hoc pacto: quando Terra 365 diebus percurrit 360 particulas, hoc est, integrum circulum, quot igitur particulas 583 di-  
erum & 22 horarum spatio absolvet? provenientque 576 ferè: similiter cum Venus 225 diebus particulas 360, hoc est, suum circulum percurrit, quot igitur particulas absolvit in 583 diebus & 22 horis? fientque plus minus 934 particulae. Hinc ab E per F pro Terræ motu 583 die-  
rum & 22 horarum numeratis in circumferentia parti-  
culis 576, comperietur Terra pervenisse ad C; similiter in Venere à punto D per G numeratis particulis 934, quas pari temporis intervallo percurrit, reperiatur ea in B, atque etiam ambæ simul in eādem cum Sole rectâ lineâ constitutæ erunt. Ita ut hīc etiam mechanicè o-  
ftendatur, juxta hypothesin illam, quâ nimirum Venus diebus 225, Terra verò annuo spacio semel circulum suum absolvit, ejusdem naturæ conjunctiōnem necessari-  
tio post 583 dies, & horas præterpropter 22 debere fieri, omnino ut experientia docet. Quod etiam dicta con-  
junctio juxta hanc hypothesin citius fieri non possit, ope  
circini ab unoquoque investigari ac cognosci potest.  
Eodemque modo Copernicanæ hypotheseos veritas etiam quoad motum Mercurii ipso circino deprehen-  
di potest.

Experimentum denique illud, quo Venus & Sol post 8 annos ad eadem Zodiaci loca redire videntur, secun-  
dum hypothesin Copernicanam multò faciliùs explicatur, quam quidem Du Bois pag. 288. & 289. secundūm systema Tychonicum explicare illud potuit. Quando-  
quidem.

quidem enim Venus 225 diebus periodū suam absolvere statuitur, post octennium denuò circa idem circuli sui punctum versabitur; quippe octo anni dies 2922 continent, quibus decies ter ferè circulum suum absolvit: Jam verò quia Terra circulum suum quotannis percurrit, etiam post octo annos in eodem rursus puncto erit: adeoque Venus & Sol post octo annorum intervallum à Terræ incolis necessariò circa idem Zodiaci punctum videbuntur, uti experientia doeet. Atque ita tale experimentum cum motu Veneris intra octo menses optimè consentit, tantum abest, ut argumentū aliquod inde peti possit, quo motus ille evertatur. Et notatu dignum est, quòd etiam juxta systema Tychonicum eodem modo hujus experientiæ ratio dari debeat: nam sive Terrā moveri & Solem stare, vel Solem moveri & Terram stare dicamus, in quo solo Tychonici ac Copernicani systematis differentia consistit, respectu experientiæ eodē reddit. Cumq; du Bois sibi imaginatur Venerem in systemate Tychonico octo annorum spatio circulum seu Epicyclum suum tantùm quinques percurrere, in eundem illum crassissimum errorem, quem in impugnando systemate Copernicano commisit, denuo incidit. Non minus enim ex Tychonica quām Copernicana hypothesi Venus octo annis decies-ter, & intra octo menses semel suam circa Solem circumvolutionem absolvit: quanquam posito cum Tychone motu Solis, qui circuli illius, in quo Venus moveri debet, mobile centrum est, haud secus ac si Terra moveatur, novendecim demum mensibus semel, ac proinde intra annos 8 tantùm quinques circuitum respectu visus nostri facere videatur. Talemque motum ac circuitum apparentem noster Du Bois hic iterum pro vero ac reali sumpsit. Atque hoc

pacto argumentum , quod à motu Veneris petiit , non minus contra ipsum Typhonem , quem tamen sequi actueri conatur , quam contra Copernicum & Cartesium validum fecit , quod incredibilis stupiditatis & incogitantiæ exemplum est . Sed quem non tædeat errores adeò crassos , atque in homine , qui pro Astronomo haberi velit , planè inauditos ulterius persequendo tempus terere ?

Ostendimus itaque falsitatem demonstrationis illius , quâ Du Bois persuadere conatus fuit , Venerem diebus 583 , & Mercurium diebus 115 opùs habere ad unum circa Solem circuitum faciendum , contra Copernicanos , qui Mercurio circiter 88 & Veneri præter propter 225 dies concedunt . Idq; primò autoritate maximè celebrium Astronomorum & Mathematicorum , deinde demonstratione ac calculo ab experientia conjunctionum petitis , & in gratiam eorum , qui Astronomiæ & Algebrae ignari sunt , etiam mechanicè probatum dedimus . Atque saltem videre poteris Domine Du Bois , quâ ratione Cartesius in calculo non erraverit , quando inquit Venerem intra octo , & Mercurium intra tres menses periodos suas absolvere .

At vir hic fortè non omnino hisce acquiescere poterit , verùm regeret : saltem Copernicum , Galilæum & Lansbergium errasse , qui 80 non verò 88 dies pro periodo Mercurii , & 9 menses non verò 225 dies pro motu Veneris assumunt . Quòd si hoc totum ipsi concederem , quid quæsò in ea , quam nobiscum habet , controversia evicisset ? nihil prorsus , quandoquidem eam non tangit . Sed nihilominus responderi potest , quandoquidem verilimile non est , quòd Copernicus calculum , quem ex ejus Theoria tam facili negotio elici supra vistum

sum fuit, subducere non potuerit, cum ipsius Du Bois  
 testimonio non summus tantum Astronomus verum  
 etiam Mathematicus esset; credendum potius esse, quod  
 vel Typothetarum errori, vel eorum, qui post mortem  
 scripta illius in lucem ediderunt, negligentia imputari  
 illa debeant; maximè cum superiorum Planetarum cir-  
 cumvolutionem, haud aliter atque cæteri Astronomi  
 intra 30, 12, & 2 annos absolví dicat; ita ut circa motum  
 Veneris pro numero 8, 9, & in describendo motu Mer-  
 curii pro numero 8, cifra o posita fuerit: & assumptis  
 hoc pacto pro mensibus 9, tantum 8, & pro 80 diebus  
 88, nulla amplius supererit controversia, quia motus  
 Planetarum, ut notum est, ibidem non accuratè, sed  
 ruditantum Minervâ describuntur. Galilæus autem &  
 Lansbergius Copernicum hac in parte procul dubio  
 securè secuti fuerunt, operæ pretium non putantes, ho-  
 rum motuum rationes proprio calculo subducere. Inte-  
 rim verò vellem ut Du Bois hîc saltem de singulari pru-  
 dentiâ & circumspectione Cartesii cogitaret, quem in  
 libellis suis imprudentissimorum judiciorum, quæ ullus  
 mortalium chartæ committere posset, adeò impetitè  
 passim accusat. Perspicacissimum & quam maximè cir-  
 cumspectum Viri illius ingenium ex suo metiri voluit.  
 Cartesius in calculo adeò facili ne tantis quidem Astro-  
 nomis, seu potius iis, quæ in ipsorum libris de dictâ Ve-  
 neris & Mercurii circumvolutione extant, fidem adhi-  
 buit, verum ut de veritate omnino certus esset, ipsem et  
 ad calculum revocare ista voluit; cavitque hoc pacto, ne  
 cum Galilæo & Lansbergio Veneri menses 9 sed 8, nec  
 Mercurio dies 80, verum tres menses concederet, quod  
 verum illud tempus est, intra quod periodos suas absolu-  
 vunt.

Quantum igitur in proposita quæstione à vero aber-  
raverit noster Du Bois, abundè jam liquere potest. Jam  
verò considerandum lectoribus relinquo, an non ex his  
ce luce meridianâ clarius sit, hunchominem, vel nullam  
omnino, solidam fundamentorum Astronomiæ noti-  
tiam habere, vel saltem eam fidem non mereri in iis, quæ  
Astronomiam concernunt, ut quicquam certi ab eo  
exspectari, vel solâ ejus autoritate ab ignaris aliquid re-  
cipi in posterū debeat. In quo enim erravit? non sa-  
nè in quæstione aliquâ difficulti aut valde intricata, ve-  
rū in maximè simplici, & quæ non à Mathematico  
tantùm, sed etiam à quovis alio, ut ostensum fuit, quām  
facillimè examinari ac solvi potest. Quā ratione verò  
circa eam erravit? in artis terminis adeò vulgaribus, at-  
que ad ipsa Astronomiæ fundamenta spectantibus: ac  
motum realem seu proprium Veneris & Mercurii cum  
eo, qui respectu visus nostri appetet, pro uno eodemque  
sumens; cum tamen in Astronomiâ paßim distinguatur  
inter Planetarum motum proprium & apparentem, non  
solùm apud Copernicum, sed etiam Ptolemæum &  
quosvis alios. Unde, apertè etiam ostendit se funda-  
menta Tabularum Copernici & Lansbergii non intel-  
ligere.

Deinde non possum non insignem ejus arrogantiam  
patefacere. Cum quibus res ipsi erat? cum Galileo, qui  
quantus fuerit Mathematicus, toti mundo notum est;  
cum Copernico & Lansbergio, quos ipsem̄ summos Astro-  
nomos & Mathematicos loco citato vocat; cum Renato  
des Cartes, qui vel apud hostes suos incomparabilis Ma-  
thematicus censetur. Cùm igitur Du Bois sibi persua-  
debat, hos omnes viros in problemate adeò facili male,  
se verò solùm rectè calculum suum instituisse, quæro, an  
non

non hoc ipso in supremo , ad quem quis contendere posset, arrogantiæ gradu constitutus fuerit ? notandum enim est, quòd híc quæstio non sit de eo, quod in utramque partem posset disputari, verùm de talibus, quorum ex ipsâ Mathesi plenissima haberi potest certitudo.

Denique, haud vulgarem in hisce rationis abusum in judicii præcipitantia positum, notare licet. Cum anno 1653 in lucem edens *Dialogum* suum, ad evertendum systema Copernicanum isthoc argumento usus esset , an non elapsò integro biennio in libello , qui dicitur *Veritas, &c.* idem argumentum eundem in finem resumens, atque insuper in Philosophiam Cartesianam intorquens, vim ejus priùs adhuc semel perpendere debuisset, antequam hæc verba in chartam conjiceret: *Ad hunc autorem, quoad Veneris orbem, falsitatis arguendum NIHIL EFFICACIUS OPTARI POTEST?* Quod si factum ab eo fuit, non absolvit ipsum à judicii temeritate, verùm præter eam etiam tenuitatem quandam in ingenio ipsius, magnamque in conceptibus confusionem haud obscurè arguit.

Atque hic est vir ille qui cornici oculos configeret, qui post irritos aliorum conatus tandem aliquando invictum invenisset argumentum, quo non Copernicana tantum hypothesis, verùm etiam Philosophia Cartesiana tota enervari posset ; quique id ipsum tam perficitâ fronte jactare non erubuit, ut non pauci eorum, qui rerum Astronomicarum ignari sunt, fidem illi adhibuerint. Idque mirum non est, Verbi Divini Minister ac simul Astronomus erat, qui rem totam pro autoritate exponere, adeoque tot terminis artis de rebus Astronomicis verba facere noverat, ut nemo sibi potuerit persuadere , doctum psittacum , qualis ille erat , qui transl-

eunti fortè Imperatori suum *salve Imperator* acclamabat, simile quid etiam præstare posse: Talis erat, qui ea, quæ magnâ contentione apud collegas suos, & quoſcunq; alios rerum Astronomicarum impetitos,urgebat,contra quoſcunq; Astronomos & Mathematicos tueri paratus erat; quique ob inauditam ignorantiam atque imprudentiam à peritioribus omni responsione indignus aliquamdiu habitus, in prædicto libello pag. 290 hos sibi triumphos ante victoriam cecinit: *Hicce jam VVittichi, funditus exterritur tota Cartesii tui Theoria de Sole &c. cum demonstraverimus, Veneris orbem ficto vestro orbe Terra Soli viciniorem multò tardius circa Solem moveri, quam vester orbis Terræ, &c.* Hic error in Philosopho vestro tam est immanis, ut speremus vos præ pudore desertā illius erronei spiritus Philosophiā tandem ad sanam mentem reversuros, Deo gloriam datus, & sacram autoritatem amplexuros.

Sed quia quotidiana experientia me docuit, quād difficile sit præjudicium aliquod, præcipue in iis, qui ætatem & eruditionem aliquam habent, omnino extirpare, in gratiam eorum, qui ab animo suo vix impetrare possunt, vel Jacobum Du Bois, vel ullum verbi Div. ministrum in impugnandâ Philosophiâ Cartesianâ ita turpiter sedare posse, quād quidem in quæſtione de motu Veneris ostendimus, operæ pretium erit, ejusdem farinæ adhuc aliud specimen ob oculos ponere, quod absque ulâ vel Astronomiæ vel alterius scientiæ notitiâ cuivis obvium erit.

In citato libello, paulò ante quæſtionem de motu Veneris, pag. nimirum 278. hæc verba legimus. *Qu. 1. An Sol sit centrum Planetarum? Sic vult Cartesius, & proinde*

de typum suum Planetarum ita construxit, ut Sol accurate in centro omnium Planetarum sit locatus, ut inschemate videre est. At errore manifesto, nam centrum ab omnibus partibus peripheriarum æqualiter distat, at nullus est Planeta, qui non habeat suum Aphelium & Perihelium, id est varios situos, in quibus alias magis, alias minus à Sole distat, ac proinde respectu ejus sunt omnes Eccentrici &c. Eaque exemplo Saturni deinde demonstrat. Hic Cartesio opinionem affingit, quæ in ejus Philosophia nullibi reperitur.

Vbi unquam affirmavit, Solem accurate in medio omnium Planetarum positum esse? Plus quam centenis locis planè contrarium ostendi potest: Ut in re adeò manifestâ breves simus, unum vel alterum locum exhibebimus art. 34. Part. III. Princip. Philos. sic loquitur: Denique ne putemus omnia centra Planetarum accurate in eodem plano semper consistere, nec circulos quos describunt esse omnino perfectos; sed ut in omnibus aliis rebus naturilibus contingere videmus, ista tantum preter-propter talia esse, ac etiam labentibus seculis continuo mutari arbitremur. Et art. 36 proximè sequente: Ipsilon autem circuitiones circa Solem, vocantur, motus in longitudinem: hiq; etiam in eo aberrant, quod non æqualiter ubique à Sole distent; sed hæc etate, Saturnus ab eo remotior est in Sagittario quam in Geminis, viceversa circiter distantia sua parte; Iupiter in libra remotior est quam in Ariete; sicque alii Planetæ habent Aphelia & Perihelia sua aliis in locis.

Et notandum venit, hæc loca non longè ab eo ipso schemate, quod vir bonus intelligere non potuit, quærenda esse: leguntur enim pag. proximè sequente, ubi

Cartesius schema illud explicat. Nota etiam quòd Du Bois argumentum petat à motu Saturni, de quo ipse Cartesius loco allegato dixerat: *Saturnus à Sole remotior est in Sagittario quàm in Geminis.*

Quid de hisce dicemus? arguemusue hominem inscitæ, eò quòd ex intuitu & delineatione figuræ Cartesii sententiam concludere allaboret? nullam enim rationem aliam adfert, quàm quòd Cartesius *schema suum Planetarum ita construxerit, ut Sol accuratè in centro omnium Planetarum sit locatus.* Hæc sanè ignorantia adeò crassa foret ut vix præsumere ausim, eum in virum literatum, nedum in Astronomum, posse cadere. Quid enim notius, quàm quòd Mathematici figuræ suas non percircinum, verùm per ipsarum explicationes determinatas esse velint? Hinc in iisdem explicandis sic passim incipiunt: *Sit A B hoc vel illud, &c.* Hinc accidit, quòd libri eorum figuris repleantur, quæ cum rebus ipsis parùm convenient. Et quid magis insolens, quàm in Physicis, uti hoc loco, figuræ secundùm Mathematicam *et ceteras* intelligere? Quomodo se gereret du Bois, si hanc ipsi movens quæstionem: An Zodiacus paulò tantùm remotiùs à Terrâ constitui debeat, quàm in duplâ Solis à Terrâ distantiâ? dicerem, quòd ipse id affirmaret & proinde *schema pag. 289. ita construxisset*, ut Zodiacus paulò tantùm remotiùs, quàm in duplâ Solis à Terrâ distantiâ positus esset; ac postea vellem probare, hoc ipsum experientiæ omniumque Astronomorum opinioni adversari? neque adeò iniquè tamen cum ipso agerem, quàm quidem ipse cum Cartesio egit: quandoquidem in figuræ suæ explicatione nusquam contrarium dicit, quod fecit Cartesius, & quidem per ipsum illud Saturni exemplum, quod du Bois loco allegato eundem in finem ipsem adducit.

Si

Si tam justa ipsi in Cartesium daretur aetio, quid non ad ei insultandum in medium proferret? Hoc igitur si pro ignorantia habendum non sit, quid de eo dicemus? habebiturne pro malitioso mendacio ac insolentissima calumnia? id verò charitas non patitur. Concludere itaque tenemur, quod non summæ tantum inscitiae ac insolitæ arrogantiæ (quippe quæ adversus Mathematicum omnium consensu maximum committitur) verùm etiam præcipitis, ac omnino corrupti judicii argumentum esse.

Equidem valde miror, Virum hunc necdum altius sapere, quām ut authoris alicujus opinionem ex sola figurarum constructione colligat; quoniam anno 1648 similem errorem ipsemet Cartesius ipsi detexit, in Epistolâ 8<sup>o</sup> Aprilis ejusdem anni datâ. Continebat illa responsum ad objectiones ejusdem furfuris, sub hoc titulo propositas: *Notæ ad Cartesii Hypothesin de motu Luna circa Terram ad formam Ellipsis. Princip. Philos. pag. 220. 221.* Quibus in notis omnes ipsius objectiones solâ figuræ illius, quæ pag. 220 reperitur, constructione nitebantur, ubi per Ellipsin ABCD, quæ peculiarem illum vorticem, in quo Luna cursum suum peragit, exhibet, ipsum Lunæ cursum intellexerat, quanquam Cartesius ipsammet illam figuram explicaturus dixerit: *Sitq. ABCD exiguis ille vortex, &c.*

Plura tantæ inscitiae specimina in lucem protrahere me tæderet, quandoquidem Vitum hunc ubique sibi similem offendens, id operæ pretium esse non puto, tempusque nimis preciosum censeo, quām ut in animadvertisendi hujusmodi ineptiis teri inutiliter debeat. Et quisnam non videt, quām parūm ab eo præstari possit, qui & inscitiae & arrogantiæ & præcipitatiæ suæ tam clা

ra dedit specimina? Quid quæsò in Physicis, ubi pleraque Problemata adeò composita sunt, ut eorum solutio ex compluribus causis simul consideratis pendeat, ab eo homine sperabimus, qui in Astronomia, quam præ cæteris callere ab amicis suis censetur, circa quæstionem adeò facilem tam pueriliter erravit.

Quæ fides in recensendis aliorum opinionibus habenda illi erit, qui Cartesio opinionem affingere veritus non fuit, quam tantum ex delineatione figuræ concluserat, cum tamen ipse Cartesius in ejusdem figuræ explicatione, & quidem eodem illo loco planè contrarium doceat, & plus quam centenis ejusdem libri locis contrarium ostendi possit? Et quem videmus in Astronomia veram Veneris periodum, ab ea quam respectu visus nostri facit, distinguere non potuisse, illéne in Metaphysicis, ubi omnia tam abstractè ac distinctè considerari debent, fidem mereri poterit? maximè circa opiniones Cartesii, quæ colligi debent ex illius Meditationibus, in quibus aliquot annorum labore sic unum ex alio deductum est, ut de mente perspicacissimi illius ingenii vix unquam ex præcisæ ac seorsim consideratis aliquot verbis vel regulis, verùm ex scopo ipsius, & consequentium cum antecedentibus nexu, vel etiam ex propriis ejus conclusionibus constare possit. Cumque Du Bois, aliquique ejusdem commatis Philosophiæ Cartesianæ adversarii, hâc in parte planè ineptos se ostenderint, mirum non est, quod in pertractandis hujusmodi materiis nihil apud ipsos proficere, sed, ut dici solet, Æthiopem lavare soleamus. Quo in opere, quia non lubenter tempus inutiliter perderem, hâc pauca inauditæ in rebus Astronomicis ac Philosophicis inscritiæ specimina ostendisse satis habui. Atque

ex iis abundè concludi posse puto, Virum talem, neque in locorum citatione, neque in recensione vel condemnatione alienæ opinionis, maximè ubi vel de Copernicana circa Solis immobilitatem ac Terræ motum hypothesi, vel de Philosophia Cartesiana quæstio est, nullam imposterum fidem mereri posse: & pro corollario: minimè mitandum esse, quod in præfatione quadā ad Ecclesiæ Reformatas (in qua æquè ineptis, sed adhuc magis malignis, quàm ea, de quibus hīc locuti fuimus, fragmentis, Philosophiam Cartesianam in heterodoxiæ ac impietatis suspicionem adducere laboravit) ipsem et scribit, quòd nempe ex *Copernicanis neminem perceperit*, qui libello ejus, quem *Dialogum Theologico-Astronomicum inscripsit*, responderet. Illi certè tempus nimis pretiosum esse putant, quàm ut omnibus illis erroribus, quibus libellus ille passim scatet, detegendis, perdere illud vellent. Et quis honos, quis inde fructus sperari posset?

Atque hāc etiam de causā nomen meum hāc vice non profitebor, neque in detegendis pluribus hujus viri erroribus atque ineptiis cum fructu tempus me collocatum putabo, priusquam ea, que Copernico & Cartesio imperitè afficta esse ostendimus, vel ab ipso, vel ab aliquo ex amicis ejus, publicè retractata, vel melioribus rationibus munita fuerint.

F I N I S.